





IVSIVRANDVM
IN PROCESSV EXECVTIVO
INTERDVM ETIAM EX LEGIBVS SAXONICIS
LOCVM HABERE

OBSERVAT

ET

V I R O

IVRE CONSVLTISSIMO AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE

P. 507.
DN. GOTTLOB CHRISTIANO
KLVEGELIO

I. V. D. CELEBERRIMO, ORDINIS IVRECONSVLTORVM
ASSESSORI GRAVISSIMO SYNDICO CIVITATIS
WITTEBERGENSIS MERITISSIMO

COLLATOS

ANTE HOS QVINQVAGINTA ANNOS

EX MERITO

SVMMOS IN IVRE VTROQVE HONORES

GRATVLATVR

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

IVRIVM ET PHIL. DOCT. COLLEGII ICTORVM ASSESSOR EXTRAORD.
ET ACADEM. PROTONOTARIVS.

WITTEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.



VIR IURIS CONSULTISSIME ET
AMPLISSIME

FAVOR ATQVE PATRONE SUMMOPERE
COLENDE

Singulari Dei immortalis beneficio, cum consecutus es felicitatem, ut hoc ipso die iubilaeum semisaeulare ex impetratis summis in utroque Iure honoribus, plaudentibus cunctis, congratulante hac Academia, felici ubique rerum TVARVM statu, celebrare possis. Quo rarior haec est felicitas, quam dura plerumque fata aliis negant, eo maius excitat gaudium apud eos, qui TE norunt, TVAM pietatem laudant, TVAMque, quam in rebus agendis ubique adhibes, prudentiam admirantur. Merito igitur ego etiam, qui per complures iam annos virtutes TVAS, quas per id tempus, quo uni eidemque Iure Consultorum Collegio tecum adsedi, propius nosse mihi contigit, admiratus sum, in huius laetitiae societatem venio, TIBIQUE honores, ante hos quinquaginta annos ex merito,

merito, ab Illustri Iure Consultorum ordine, cuius iam Senior es,
collatos, summopere gratulor, et ut ad plures huius solemnitatis,
notitia veniat, Obseruationem, iusiurandum in processu executiuo
etiam interdum ex Legibus Saxonis locum habere, festinante, in-
ter, varia, quae me hoc tempore premunt, negotia, calamo exarata,
TIBI ut tesseram meae in TE obseruantiae trado, eamque
publicum quasi rarae, quae TIBI contigit felicitatis, documentum
esse volo, nihil magis optans, quam ut Deus ter optimus maxi-
mus, TE quam diutissime huic ciuitati, inprimis autem Collegio no-
stro, quod ornas, et quod, praeeunte eiusdem Decano, Illustri filio
TVO, hunc diem TIBI sibiue pie gratulatur, seruet, ut per com-
plures adhuc annos saluus et incolumis rebus nostris interesse possis.
Ego vero TE, VIR IVRE CONSVLTISSIME ET AMPLISSIME, hu-
manissime rogo, ut hanc leuiorem obseruantiae meae tesseram, serena
hilarique fronte recipias, meque TIBI semper de meliori commendatum
habeas. Vale. Dabam Witteb. d. V. Ianuar. MDCCLXXXVII.



§. 1.

Saepe miratus sum, nostra aetate, qua omnia ad rectae rationis regulas referuntur, esse plures Iure Consultos, qui libellos ut ineptos reiiciunt, in quibus documentorum recognitio ab reo postulatur, eidem autem super quibusdam libelli capitibus, quae per documenta confestim probari non possunt, iusiurandum defertur. Non ignoro quidem diuersa processus genera, in vno eodemque libello non satis commode cumulari, indeque, cum litis contestatio, quae ab eo, cui iusiurandum defertur, exigitur, ad processum ordinarium, recognitio autem ad executiuum pertineat, libello, in quo recognitio petitur, et simul iusiurandum super aliis partibus defertur, exceptionem cumulationis diuersorum processus generum, ut pragmatici dicunt, opponi posse. At hanc ipsam regulam, diuersa processus genera non cumulari debere, tunc demum sequendam esse censeo, si ex hac ipsa cumulatione confusio oriatur, quia solus confusiois metus hanc regulam genuit, indeque in termino probatorio aut reprobatório, intuitu quorundam articulorum recognitio documentorum, intuitu aliorum autem, super quibus iusiurandum dela-

delatum, responſio recte poſtulat, cum probatione iam iniuncta, obſeruante Illuſtr. KLÜGELIO, in *Diſſ. Recognitionem et litis Conteſtationem in libello ſimul inepte peti* §. 5. nulla amplius confuſio metuenda ſit. Regulae enim, ſecundum quas cauſae controuerſae in foro peragi debent, nulla certe alia ex cauſa, a legiſlatoribus ſunt traditae, quam vt lites breuiores ſiant, et quilibet quod ei debetur, quantum fieri poſſit, celerius accipiat. Quod ſi negari non poteſt, ſequitur, modum procedendi ita eſſe conſtituendum, vt quam proxime fieri poſſit, ad hunc finem accedat.

§. 2.

Sapienter igitur legiſtatores Saxones iuſſere, ne iis, quibus cauſarum controuerſarum decidendarum poteſtas eſt commiſſa, ſubtilitates iuris altius rimentur, ſed vt libellos, licet clauſula ſalutari non munitos, quocunq; modo poſſint, conſeruent. *O. P. R. Tit. V. §. 1.* Damnauerunt igitur Sereniſſimi legiſtatores, quibus ſemper bonum publicum ciuiumque ſalus, curae cordique fuit, formulariam illam iuriſprudentiam, quae verbis inhaeret, et formulas aucupatur, ad exemplum Imperatorum Romanorum, qui in *tit. Cod. de formulis et impetr. actionum ſublat.* eandem deteſtati ſunt. Sed nihilo fecius hanc formulariam iuriſprudentiam poſtliminio quaſi in Saxoniam rediſſe, viri cordatiores conqueruntur, inter quos STRYCKIUM in *not. ad Lauterb. Compend. L. I. Tit. II.* et LEYSERVM in *Medit. ad Pandect. Spec. 5. et 37.* nominari ſufficiet. Saepius enim cum ingenti damno eorum, quorum res agitur, de ſubtilitatibus iuris diſputatur et libellus, qui ex nobili iudicis officio ſuſtineri poterat, vt ineptus reiicitur, quamuis monente BERGERO in *Suppl. ad Elect. Diſcept. for. P. I. Tit. V. Obſ. 31.* ſedulo cauendum ſit: *ne in ipſis rerum argumentis apices iuris nimium ſectemur, atque obtentu ſubtilitatis, ius alterius vel plane ſubuertamus, vel diſſicile impeditumque efficiamus.*

§. 3.

Hanc ipſam ob cauſam nouam quaſi Proceſſus ſpeciem, ex ordinario ſcilicet et executiuo mixtam, ex ipſis verbis *O. P. R. Append.*

§. 4.

§. 4. et 7. in foris nostris admittendam esse censeo, in iis scilicet causis, in quibus potiora libelli capita, per documenta confestim probari, quaedam tamen, rei controuersae attributa, circumstantias vulgo dicunt, ex iisdem liquido in continenti demonstrari non possunt. Ipse enim Serenissimus Potentissimusque Sarmatarum Rex et Elector Poloniae FRIDERICVS AVGVSTVS, dum ordinationem processum emendaret, et processum summarium, qui propter diuersas Dicasteriorum opiniones saepius plures reorum tergiuersationes admittebat, abrogaret, in *App. O. P. R. §. 4. et 7.* monente Illustri quondam GRIBNERO, qui perficiendo huic legi iudiciariae adhibitus erat, in *Comment. ad App. §. 4.* nouam processum scilicet mixti speciem inuenit, ciuibusque suis, vt quam celerrime ius suum consequerentur, licentiam concessit, processu executiuo, et in iis causis vtendi, in quibus singula libelli capita ex documentis quarentigionatis probari non possunt, modo potiora ex documentis confestim probentur, reliqua autem rei attributa ordinario modo probandi. Hac enim lege constitutum est, vt processus executiuus admittatur, licet super quibusdam causis, quae rei attributa tangunt, petita fuerit litis contestatio, si sc. conditionem, sub qua solutio promissa, adimpletam esse, heredes, qui conueniuntur, debitoris heredes esse, vel actorem ex sua parte contractum, cuius implementum a reo postulat, adimpleuisse, documentis confestim probari non possit.

§. 4.

Sunt quidem plerique iuris interpretes, qui libellum, in quo super quibusdam capitibus libelli litis contestatio petitur, nisi illas ipsas causas, quas legislator exempli causa adduxit, tangant, licet circa rei tantum attributa versentur, et potiora libelli capita per documenta probentur, tanquam ineptum reiiciunt. Sed hi ipsi mihi, quod pace eorum dixerim, verbis nimium inhaerere, atque nimis angustiis limitibus, legislatoris optimi regulas circumscribere, vel vt cum CICERONE *pro Muraen. C. 17.* loquar, *aequitatem relinquere, verba ipsa retinere*, videntur, quam tamen litem, ne in summi legislatoris leges, qui commentarios Ordinationi Processus recognitae addere, et per

contrarias interpretantium sententias ius constitutum conturbari vetuit, peccem, in praesenti meam facere nolo.

§. 5.

Sed ex his ipsis, quae diximus, sequitur, iuriiurando interdum etiam in processu executiuo, locum esse, in iis scilicet libelli capitibus, quorum causa ex ipsa lege litis contestatio ab aduersario exigitur. Actori enim incumbit probatio eorum, quae a reo negantur, et haec probatio vel per documenta, vel per testes, vel denique per iurisiurandi delationem absoluitur. Cum autem actor in Saxonia nostra iurisiurandi delatione uti non possit, nisi statim in libello ipso reum de hac re certiores fecerit, quia post Guarandam praestitam aut litem pure contestatam, libellus mutari, et iusiurandum deferri non potest, *CONSTIT. ELECT. XI. P. I. O. P. S. Tit. XVIII. §. I. et BERGER in Diss. quo usque actori, reoue in foro Saxonico Elect. liceat deferre iusiurand. necesse est, ut is, qui super quibusdam libelli capitibus, litis contestationem exigit, de iisdem reo, nisi modo ordinario per testes et documenta, quae reus negabit, probare velit, iusiurandum deferat. Indeque recte colligitur, actorem, qui per documenta contestim probari non potest, conditionem, sub qua debitum soluendum, adimpletam esse, vel eum, qui conuenitur debitoris heredem esse, vel se ex sua parte contractum bilateralem iam adimpleuisse, de hoc ipso negotio, vel alio etiam, quod ad causae principalis attributa pertinet, reo in ipso libello, quem pro decernendo processu executiuo iudici tradit, iusiurandum deferre posse, et iniquum esse, eum, qui potiora libelli capita per documenta contestim probat, amagibus processus ordinarii implicari.*

§. 6.

Aiunt quidem, hanc iurisiurandi delationem in processu ordinario locum tantum habere, sed hoc ipsum est formulis et verborum syllabis inhaerere. Nam si breuiori via, qua potest, lis finiri debet, ut cordatoribus omnibus placet, propter leues causas, is, qui potiora libelli capita contestim probat, tricis processus ordinarii implicandus

dus non est, quae multum temporis absumunt, et magnas litium expensas postulant. Quae si omnia recte ponderantur, facile apparet, mixtum ex ordinario et executiuo processum, si nulla inde confusio metuenda, admittendum, nec actorem, qui documento innititur, ex quo potiora libelli capita confestim apparent, alia autem, quae rem circumstant negotia, iureiurando probare cupit, ad ordinarium processum remittendum esse. In hoc enim primae sententiae formula haec est. *Die weil Beklagter sich auf die Klage eingelassen, selbiger aber nicht allenthalben geständig, so ist er den ihm über den 5 und 6 Punkt der Einlassung angetragenen und angenommenen Haupt-Eyd, nach Klägers vorgehendem Eyde für Gefährde zu schwören, im übrigen aber Kläger den Grund der Klage, und was ihn daran verneinet, binnen Sächsischer Frist, Beklagten den Gegenbeweis und Eydedelation binnen ebenmäßiger Frist, auch beyden Theilen weitere Rechtsnothdurft vorbehältlich, wie Recht zu erweisen schuldigt. Ferner darauf zu geschehen, was Recht ist.* Deinde utraque pars variis litium ambagibus implicatur, post publicatam enim sententiam articuli probatoriales ab actore, cum documentorum designatione, reprobatoriales a reo iudici exhibentur, terminus productionis et reproductionis praefigitur, de documentis, an recognosci debeant, disputatur, super ipsa recognitione noua sententia fertur, tunc demum, quam vim probandi documenta habeant, disquiritur, et tandem post tot ambages post tot discrimina rerum, tota controuersia, si Diis placet, sententia definitiua consopitur. At cui bona tot ambages? vt taedio litis ii, quorum res agitur, afficiantur, et litium expensis emungentur, cum breuiori modo et commode tota lis finiri possit, si mixtum admiseris processum, et post documentorum recognitionem et litem, ad ea libelli capita, quae negotium principale circumstant, contestatam, ita pronunciaueris: *Die weil Beklagter das Document sub O recognosciret, so ist er inhalt desselben die geklagte Summe an — — Klägern binnen 14 Tagen bey Vermeidung der Hülfe zu bezahlen, demselben auch die verursachten Unkosten zu erstatten schuldigt, er könnte und wolte denn, nach vorgehendem Klägers Eyde vor Gefährde, daß v. c. letzterer seiner Seits ihm das verkaufte Haus noch nicht abgetreten (vel ihm das Capital nicht aufgekündigt) habe, schwören, solchen Falles ist er von angestellter Klage zu entbinden und loszuzählen.* Ad nobile enim iudicis pertinet officium, vt partibus breuiorem viam,

contro-

controuersias componendi et ius suum persequendi monstret, cum non solum partes in causis ordinariis celeriter et non obseruatis processibus solemnitatibus progredi volentes possint, sed iudex etiam litigantes, vt breuiorem viam eligant monere debeat. o. r. v. Tit. I. §. 1. et o. p. r. ad Tit. I. §. 1.

§. 7.

Haec cum ita sint, lubenter optimi quondam in hac Academia Antecessoris BERGERI sententiae accedo, qui in *Oec. Iur. L. III. Tit. II. Th. IV. no. 7.* monet, in processu executiuo interdum locum esse iureiurando, super circumstantia extrinseca v. c. monetariae conditione, quae ex litera instrumenti cognosci non potest, sed aliunde diiudicanda aut saltem praesumenda est, et in genere iuriurando, vt probationi liquidae, in processu executiuo locum relinquendum esse censeo, ex ipsa legislatoris mente, si scilicet res quaedam minoris momenti. quae tamen si probata non sit, executiuum processum remoratur, probanda sit, licet ipse nemini actor fieri vellem, vt hac interpretatione doctrinali innixus, in processu executiuo, aduersario iusiurandum super quadam negotii circumstantia, quae per documenta confestim probari non potest, deferat, nisi in iis causis, in quibus litis contestationem, vt actor a reo exigere, etiam in processu executiuo, possit, leges Saxonicae discretis verbis permittunt, ne rigidiores forsitan, quos inuenerit Iure Consultis, libellum vt ineptum propter diuersa processus genera cumulata reiiciant, addita ratione, neminem supra legis verba sapere debere, et interpretationem legis iudiciariae Iure Consultis interdictum esse. Nos enim tantum ea, quae legibus conuenire ex nostra sententia putamus, protulimus, cum et priuatis de iure constituendo interdum dicere fas sit.

Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle


004 335 899



3

f
Sl.





B.I.G.

Farbkarte #13

IVSIVRANDVM
 OCESSV EXECVTIVO
 ETIAM EX LEGIBVS SAXONICIS
 OCVM HABERE
 OBSERVAT
 ET
 VIRO
 SVLTISSIMO AMPLISSIMO
 DOCTISSIMOQVE
 TLOB CHRISTIANO
 VEGELIO
 ERRIMO, ORDINIS IVRECONSVLTORVM
 GRAVISSIMO SYNDICO CIVITATIS
 WITTEBERGENSIS MERITISSIMO
 COLLATOS
 OS QVINQVAGINTA ANNOS
 EX MERITO
 IVRE VTROQVE HONORES
 GRATVLATVA
 FLIEB WERNSDORFFIVS
 OCT. COLLEGII ICTORVM ASSESSOR EXTRAORD.
 ACADEM. PROTONOTARIVS.

9

1787 5

WITTEBERGAE
 CAROLI CHRISTIANI DÜRRI

